

rem Graecum, tuae prouinciae hominem, ausus sum interpretari, emendare, et in lucem edere. Illud mihi nocuit vnice, Quis enim ego, qui messi tuae meam immitterem falcem? Paucula quaedam, fateor, a vicesimo pene anno in perelegantem istum scriptorem subnotaueram, idque vaciuis tantum horis, quantum scilicet licuit per negotiola: haec aliquanto post, precibus vnus, vel alterius, amici adductus, publici feci iuris. Perpauca, inquam, illa fuerant, quaeque orae mei codicis illeueram: neque enim, vel vacabat, vel libebat, vt in Professoria pergula, per scriptores omnes euagari; neque sane, si illud contigisset, vt gloriosulus merces meas omnes in publica explicuissem facie: alia nobis mens, consilium aliud; quippe quibus haud incompertum foret, eiusmodi commentariorum sarcinas cordatis omnibus magis oneri, atque odio, fore, quam, vel vsui, vel oblectamento. Equidem perlegi *μακρόν* tuum *ληρόν*. Anacreontis vitam ipse appellas. Quem omnes nouere, vt tyrannicae aulae comitem, et corruptum, et vinosum, et mollem, hunc tamen tu, et pudicum, et sobrium, et quantiuis pretii homuncionem, si diis placet, nobis propinas. Dixisses illum, et genere clarum, et potentum gratia nobilem; ingenio etiam facili, et perquam amoeno, urbanum, atque liberalem: neque me, neque quenquam alium, habuisses tibi repugnantem. In homine certe pagano praeclarae sunt istae virtutes semper habendae, quibus naturae vitia cum diis suis sunt communia. Mox tu, relicto, quem prae te ferebas, Anacreonte, plurimus es in laudibus ipsius Polycratis, atque Pisistratarum, Persicae tyrannidis clientum, qui, postquam barbarum iugum patriae praetulissent libertati, ipsi sibi tandem pesti fuere, atque exterminio.

d 2

Cei.